PROTESTATIO
AUTHORIS.

EXactiſſimum Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus morem geſturus Decretis URBANI VIII. Summi Pontificis *diebus 13. Maii annô 1625. & 5. Junii annô 1631. & iterum 5. Juli annô 1634.* editis, circa hiſtorias de hominibus famâ virtutis, aut Sanctitatis illuſtribus, eorum geſtis, aliísque miraculis aut beneficiis a DEO impetratis me per omnia humillimè ſubmitto: quidquid refero, me accipere, & nullô modô ab ullo accipi velle profiteor, niſi quô ea ſolent, quæ humana duntaxat nituntur auctoritate. Si quid verò contra mentem ac intentionem meam irrepſerit, vel quisquam in ſequiorem partem interpretari poſſit, repudio, & retracto, & non dictum, non ſcriptum eſſe volo; Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus filius ſemper eſſe, & haberi cupio. Sic animô ſincerô cum omni obſervantia & reverentia teſtor

F. JOANNES a S. FELICE.

AN-